



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

9. Ludouicus Pius Caesar, petente Iuditha coniuge sua, Isernam & Thorenselam, villas monasterij Rotnacensis, an. 831. concedit Hildefrido viro nobili.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

Aetum Aquisgrani, palatio regali, anno V. Imperij Ludouici  
pijsissimi Augusti, Indictione XIII. Kalendis Maij. 821.

## NOTATIONES.

Iac. Guisius in mss. Hannoniæ Annalibus lib. 14. cap. 23. diploma istud recitat.

S. HUMBERTVS, in peregrinatione Romana & prædicatione Evangelica fuit socius S. Amandi Tungrensis Episcopi; & quiescit in Maricolensi cœnobio, à se fundato: vt cap. 10. Cod. & in Fastis Belg. explicui.

MARICOLAS) vulgò *Maroilles*, in Hannonia.

HAINOENSIS vel Haginoensis pagus, ) vulgari lingua *Le pays de Hainau*, Latine Comitatus Hannoniæ, nomen accepit ab Hainau vel Haginoa fluuio, qui prouinciam interfecat, & illius metropolim, Montes Hannoniæ nuncupatam, perluit.

SAMBRA fluuius, Iul. Cæsari Sabis, *Sambre*, Mosæ miscetur Namurci.

## CAPVT IX.

*Ludovicus Pius Cæsar, petente Iuditha coniuge sua, Ifernã  
& Thorenselam, villas monasterij Rotnacensis, an. 831.  
concedit Hildefrido viro nobili.*

**I**N nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. LOVD-  
VICVS, diuina ordinante clementia . . . omnibus fidelibus san-  
ctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum  
esse volumus;

Quia dilecta coniunx nostra IVDITH fuggefferit Serenitati no-  
stræ, pro quodam homine suo, nomine HILDEFRIDO, vt ei per no-  
stræ auctoritatis conscriptionem . . . . . illud quod pater suus no-  
mine Luitfredus, ex rebus monasterij, quod dicitur *RODENACVM*,  
per concessionem & mansuetudinis largitionem diu habuit,

Id est, villam quæ dicitur *Iferna*, cum molendinis duobus, &  
aliam villam quæ dicitur *Thorensel*, cum territorijs & siluis, aqua-  
rum

rum decursibus, & de eodem foresto, qui est in Iserna, ad porcos XV. . . . . dum ad viuet, similiter per nostræ concessionis confirmationem habere debuisset,

Eius quoque suggestioni libenter annuimus, & hanc nostræ auctoritatis conscriptionem fieri, eidemque Hildefrido dare decreuimus.

Per quam omnibus Rectoribus eiusdem monasterij, præsentibus scilicet & futuris, præcepimus, vt nullus eorum licentiam habeat memoratum beneficium ab eodem Hildefrido auferre, aut eum exinde qualibet occasione priuare, atque dispoliare:

Sed liceat ei Abbati, cum omni integritate, diebus vitæ suæ, eum habere & possidere, ita vt ad Missam S. Martini per singulos annos passibus memorati monasterij de argento solidum vnum perloluat.

Si de ipso censu negligens inuentus fuerit, cum lege sua eum restituat, & ipsum beneficium non amittat.

Post suum autem discessum, pars præfati monasterij, absque vllius personæ consignatione, in suam faciat reuocari potestatem.

Et vt hæc auctoritas nostræ præceptionis firmior habeatur, & à fidelibus atque successoribus nostris meliùs conseruetur, de annulo nostro subter iussimus sigillari.

MEGINARIUS Notarius, ad vicem Thectonis, recognoui.

831.

Data II. Kalendas Februarij, anno, Christo propitio, decimo octauo Imperij domini Loudouici, serenissimi Imperatoris Augusti.

## NOTATIO.

RODENACVM) hodie Rotnacum, Flandris Roncen, Gallis *Ernay*, amplum Comitatus Flandriæ municipium, in diocesi Mechliniensis. In quo est

MONASTERIUM quod dicitur Rodenacum) hodie Canoniorum collegium opulentum, à S. Amando Tungrensi Episcopo incohatum (vt Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 2. tradit) & à Lothario Cæsare, post monacho Prumiensi, prædijs auctum: vt ex Fastis & Annal. nostris Belg. constat.

ISERNA) *La cense d'Iserie*, prope Athum.

CAPVT